

genus. Vel enim silendi œconomia cadit supra personas, quæ hæreseos insimulantur, vel supra fidei doctrinas. Et quidem si de personis sit quæstio, prudentissime Ecclesia aliquando dispensationem adhibuit, & silendi œconomiam, qua protraheretur illarum damnatio, donec intimius res elucesceret. At quando de fidei doctrinis suboritur aliqua dissensio, & veritas aliqua impugnatur, quæ in SS. Patribus, in Scripturis Sacris, & in Conciliorum definitionibus haud obscure continetur, nulla tunc opus est œconomia, aut silendi dispensatione, sed statim ab iis, ad quos spectat, aperte est definienda, ut liquet pluribus exemplis Veterum Patrum, qui in hostes Ecclesiæ primo adhuc impetu acriter insurrexerunt, eorumque errores in ipsis cunis præfocarunt, parum curantes quod homines impii, ac novitatum amatores scandala inde paterentur, dummodo veritas Catholica usque ad sanguinis effusionem vindicaretur. In hoc itaque culpandus est Honorius Papa, quod in hac doctrina fidei de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus præposteram indixerit silendi œconomiam, & quod Monothelitarum Hæresim laius grassari permiserit, quam tamen actutum auctoritate sua reprimere debuisset. Sed quamvis Honorius Papa a peccato excusari haud possit, a Monothelitarum tamen Hæresi, qua nunquam fuit infuscatus, facile purgari potest, quidquid contra obstrepant heretici, quos inter *Guillelmus Cave* in Historia litterali sæculo Monothelítico hæc scribit: *Laterem lavant, operam oleumque perdunt, quotquot Honorium ob Hæresim Monotheliticam a Synodo generali sexta damnatum hac labe eximere allaborant.* Quod quidem quam falsum sit, & Sancti illius Pontificis doctrinæ injuriam, facile intelliges, si præter ea, quæ hæctenus in ejus defensionem diximus, consulas nostrum *Combesium* in Historia, quem edidit, Monothelitarum Hæresis, & nostrum *Natalem Alexandrum* in Dissertatione secunda septimi Ecclesiæ sæculi, ubi late probat, tam vere, quam pie Honorium I. a Monothelitarum Hæresi excusari posse.

» (a) Quamquam Monothelitarum hæresis sæculo demum VII. emerfit, ejus tamen femina integro ante sæculo germinare ceperunt sub Zenone, opera Monophysitarum, quorum princeps Xenajas qui. & Philoxenus Hieranus Episcopus Monophysita, qui in sua professione *Fidei Syriace* scripta hæc in rem præsentem habet: *Si quis in uno Unigenito duas crediderit personas, aut duas voluntates, aut personarum differentiationem statuerit post unitonem in utero factam, anathema sit.* Vid. *Asseman. Bibl. Orient. tom. II. pag. 34.* Porro Philoxenus anno 518. exulante coactus, Theophane teste, demum Gangris Paphlagoniæ urbe fumo suffocatus interiit paulo post annum 522. ut ex Anonymo Syro vitæ ejus scriptore *Assemanus* ibidem pag. 20. deducit.

» Mortuo Honorio I. Romano Pontifice, *Sergius* Episcopus Constantinopolitanus Hæreticus Monothelita, sub specioso obtentu consopendi tumultus, quibus tota perstrepebat Ecclesia, An-

ctor fuit Imperatori Heraclio ut promulgaret *Ethesium*, seu fidei expositionem, quam ipsemet *Sergius* proprio Marte cuderat, in qua deinceps dici prohibebatur cum una tum gemina in Christo voluntas, & operatio. Hæc *Ethesis* nomine Heraclii Imperatoris vulgata, & a Romanis Pontificibus *Severiano, Joanne IV. & Theodoro* Honorii primi successoribus damnata, extat Secretario III. Concilii Lateranensis sub *Martino I.* Summo Pontifice celebrata. Necdum tamen hæc *Ethesis* Heraclii proscriptione Monotheliticæ Hæresi finis impositus est, ob perveraciam *Pyrrhi & Pauli*, qui *Sergio* in Sede Constantinopolitana successerunt, & duo illius sectæ præcipua columnæ fuerunt. Hic siquidem *Paulus* Constantinopolitanus Episcopus, qui diu Catholicam fidem ementitus fuerat, detracta tandem larva induxit *Constantem* Imperatorem nepotem Heraclii, ut promulgaret anno DCXLVIII. *Typum*, seu Edictum, quo silentium indicetur unius, vel duarum in Christo voluntatum & operationum, quod Edictum habetur in Concilio Lateranensi sub *Martino I.* indicto, Secretario IV. Postremo, hæc Monothelitarum hæresis attrita, & profligata fuit in sexta Synodo Œcumenica sub *Agathone* Papa, & *Constantino Pogonato* optimo Imperatore Catholico anno DCLXXX. habita. Tentavit quidem *Philippicus Bardanes*, qui anno Christi DCCXI. Imperium invasit, hanc jacentem Hæresim, qua a puero imbutus fuerat, utcumque erigere, sed illo Tyranno in ordinem redacto, & *Anastasio* Catholico Principe ad Imperii fastigium evecto, extincta est Monothelitarum Hæresis, & Catholica fides de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus in sexta Synodo Generali definita toto Orbe Christiano suscepta est; exceptis tamen, ut observant *Historiæ Ecclesiasticæ* periti, Chaldæis, Armenis, & Maronitis, apud quos etiam post Concilium sextum Generale diu viguit Monothelitarum Hæresis. Sed de sectis, & Hæresibus, quæ septimo sæculo Ecclesiæ gremium dilacerarunt, hæctenus satis dictum sit.

D. Gestio nunc scire ortum ac progressum Hæresum, quæ in octavo Ecclesiæ sæculo protulerunt.

M. Duæ potissimum Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo emerferunt, videlicet Hæresis *Iconomachorum*, seu *Iconoclastarum*, & Hæresis *Felicis Urgellitani Episcopi, & Elipandi Toletani Antistitis*.

D. Ab origine, & progressu *Iconoclastarum* Hæresis exordium, si placet, ducamus.

M. *Iconoclastarum* Hæresis anno septingentesimo vicesimo tertio hoc pacto exorta est (b). *Tiberiade* vir quidam haud obscurus erat Judæorum superstitionibus addictus, qui cognominabatur *Sarantapechus*, insensibilis Christianorum hostis, & invidiæ livore in Ecclesiam ætians. Hic itaque male feriatas homo illius, qui Saracenis tum temporis imperitabat (*Jezeidus* ille vocabatur) nimiam facilitatem cum perspectam habuisset, conciliata sibi illius benevolentia, & studium erga ipsum obtendens, quædam ei grata ac jucunda vaticinabatur, tumque pollicitus est, si

suggestionibus ejus morem gereret, Imperii diurnitatem, ita ut triginta annos Imperii integros ageret, modo ex Christianorum templis, rotisque Imperii sui finibus, Christi, & Sanctorum Imagines deturbaret. Hamum devoravit imprudentissimus Princeps, illiusque præstigiatoris consiliis auscultans sacrilegum promulgavit Edictum, quo sacra Christianorum templa expilari, Sanctas Imagines dejici, lacerari, & comburi iussit. Quod idem impium Edictum prophanis, & impuris manibus e vestigio executioni mandatum est; nam qui ad id missi fuerant, inimicos Christi Judæos, Saracenosque ad justâ perficienda acriter urgebant; Christiani vero, quantumvis minis impellerentur, tam violentum facinus aggredi detrectabant. Verum, hanc impietatem non diu inultam reliquit Deus præpotens scelerum vindex. At enim *Jezeidus* ille Saracenorum Princeps, qui impiis hujus præstigiatoris consiliis per summam imprudentiam assensum præbuerat, cum sua spe delusus brevi tempore superstes fuisset, male periit. Ejus autem filius, cui nomen *Ulido* erat, in paternum Regnum succedens, hunc præstigiatorum Judæum tanquam Patris seductorem, ac insignem impostorem acerbissima, & crudelissima morte multari præcepit, quo nequitæ condigna præmia reportaret. Quo semel facto, mox per Orientem ornatum suum resumpsit Ecclesia, & Sanctarum Imaginum instaurationem accepit. Hæc constat ex relatione, quam *Joannes Hierosolymitanus* Monachus Actione v. septimæ Synodi Generalis coram Patribus recitavit, quæque seorsim edita est cum continuatoribus *Historiæ Byzantinæ* post Theophanem.

» (a) *Iconoclastarum* quidem hæresis nonnisi sæculo exoriente VIII. paruit, diu tamen ante primæ ejus lineæ ductæ sunt auctore *Philoxeno* Monothelitarum assertore, qui anno 522. obiit. Ita enim de illo habuit *Joannes Dactinomenus* Monophysita in act. v. Nicæni II. *Non enim licitum asserebat Xenajas* (alio nomine *Philoxenus*) *Angelorum, cum incorporati sint, corpora facere. Sed nec illud existimare, honorem aut gloriam impendere Christo imaginem ejus per picture artem efficere; esse autem illi solam acceptabilem nosse in spiritu & veritate adorationem.* Hæc *Philoxenus* docens una cum doctrina etiam opus prætrabat. Crebro namque Angelorum imagines quidem deponens debebat; eas vero que Christum figurant in abditiis locis occultabat. Plura in eandem rem ex *Philoxeni* scriptis de prompta adjicit *Assemanus* *Biblioth. Orient. tom. II. pag. 20.*

D. Certe mirari non subit, quod Judæi, & Saraceni Christianorum insensibilissimi hostes Sanctis Imaginibus bellum indixerint. At scire vellem, an hæc impietas ab Hebræis ad Christianos derivata sit?

M. Hanc impietatem *Leo* hujus nominis III. dictus *Isaurus*, qui tum temporis Imperium Romanum regebat, ab Hebræis accepit, eamque apud Christianos inducere tentavit, instigante præsertim *Constantino Nacolia* in Phrygia Episcopo, qui ob suam heresim, a suis *Dicæcelanis* expulsus, in

Aulam Imperatoris irrepsit, eumque contra cultum Sanctarum Imaginum vehementer accendit. *Leo* itaque anno decimo Imperii sui, sicut testantur *Theophanes, & Stephanus* Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in Vita *Stephani junioris*, ut gratificaretur Judæis, quibus jure jurando sese obstrinxerat, concessurum se illis quidquid postulassent, cum ad Imperium, quod arislando ei fuerant vaticinati, provectus esset; factas Imagines persequi cœpit, ad quas penitus evertendas publicum postea promulgavit Edictum, cui tum in Oriente strenue intercessit *Sanctus Germanus* Patriarcha Constantinopolitanus, tum in Occidente *Gregorius II.* Summus Pontifex, qui perfidum illum Imperatorem ab hac impietate litteris ad eum datis avocare conatus est, sed frustra. Barbarus quippe ille Imperator nomine & moribus *Leo* erga Ecclesiam furore percitus a nefario proposito semel in animo infixio sacrorum Templorum Imagines destruendi divelli nequaquam potuit. Immo in dies crudelior factus Venerabile Collegium *Studitarum* ejus impietatem averfantium, una cum instructissima Bibliotheca injectis flammis concremavit. Dein, *S. Germanus* Constantinopolitanus Episcopus, qui ejus de abolendis Imaginibus decreto subscribere renuebat, Sede expulit, & in ejus locum subrogavit *Anastasium* fatalem Imperatoris in hac disseminanda *Iconoclastarum* hæresi administrum, sicut testatur jam citatus *Stephanus* in Vita *Stephani junioris* his verbis, quæ hic integra recensere operæ pretium est: *His auditis, nempe quæ de Venerandis Imaginibus dicebat S. Germanus, improbus Imperator, more Leonis, cujus nomen ferebat, frendens, Satrapas ensibus armatos in Patriarchicam domum misit, quibus præcepit, ut cum pugnis, & conviciis Sanctum Virum inde deturbarent. Eo autem ejecto, & Monastica vita particeps factus, videre erat universam Civitatem mellissimæ Patris doctrina orbata, stertum, & ejulatum non parvum edere, ita ut dies illa, non dies, sed tenebra, & stertus super stertum, & va super va esset, ut loquitur Prophetia. Iisdem miseris diebus impius Anastasius impietatis manu Pontificatum occupavit vi militum, non suffragio divine pietatis, qui quidem omnia ad Ecclesiam pertinentia Imperatoris adibus tradidit. Tum Tyrannus libera potestate prodende hæresis accepta, illico Sanctam, & Dominicam Christi Dei nostri imaginem, que super Imperatoria atria collocata ob effigiem Sanctæ *Eneæ* dicebatur, dejicere, & igni tradi tentavit. Quod quidem peregit. Interim vero dum tollebatur, divino zelo roboratæ honorabiles mulieres fortiter irruerunt, arreptaque scala, Spatharium, qui imaginem amovebat, in terram projecerunt, distractumque morti tradiderunt. Post hæc ad Patriarchicam domum statim properantes, impium Anastasium lapidibus petunt, agentes: impiissimum Caput, & veritatis hostis, ergone, idcirco Sacerdotium invasisti, ut sancta, & lacra anathemata, sive donaria evertantur? Hanc de se victoriam non ferens prophanus, a conspectu piarum mulierum aufugit, & ad tyrannum confugiens, ei auctor fuit, ut sanctas illas mulieres ferro interimeret. Quod quidem factum est, illaque pro Christi imagine inito certamine, victoria præmium ab ipso Christo receperunt, cum omnibus Sanctis victricibus in*

Regno *Caesorum letantes*. Haecenus Stephanus Ecclesiae Constantinopolitanae Diaconus in Vita Stephani junioris, quae graece ac latine publicata est tomo 1. Analectorum Graecorum a *Jacobo Loppino* Monacho Benedictino. Sed in Germanum Sanctissimum Antistitem, & in pias mulieres, quae ab ejus impietate abhorrebant, atrociter favisse non contentus *Leo* Imperator, furere adhuc coepit adversus *Gregorium II.* Summum Pontificem, cujus vitae non solum per suos Ministros saepius insidiatus est, sed etiam in odium vindictarum a Summo illo Pontifice imaginum, patrimonium Ecclesiae Romanae in Calabria, & Sicilia in Fiscum redegit, & Dioceses Illyricanas, Calabriam, & Siciliam, reliquaque Provincias usque Thraciam a Romano Pontificatu distinxit; de qua summa tyrannide, & injustitia conqueruntur jure optimo Summi Pontifices *Adrianus I.* in Epistola ad *Carolus Magnum*, & *Nicolaus I.* in Epistola ad *Mjobaelem* Imperatorem, in qua eorumdem Provinciarum, quas Ecclesiae Romanae tam injuste *Leo* Imperator abstulerat, restitutionem postulat. Tot malis quae scelestus ille Imperator *Leo* Sedi Apostolicae intulerat, deterritus tamen non est *Gregorius II.* qui tum temporis universae Ecclesiae clavum feliciter regebat, sed in defensione avitae fidei sibi semper constans, postquam *Leonem* ab hac impietate consiliis, ac litteris suis abducere haud potuisset, Concilium coegit Romae, in quo tam illum, quam alios eadem haeresi infectos diris Christiano ritu devovit, ut narrant *Adrianus I.* in Epistola ad *Carolus Magnum*, *Cedrenus*, & *Zonaras* Scriptores Graeci. Idem praestitit *Gregorius III.* decessori suo virtutibus, & pietatis zelo par. Is quippe Summus Pontifex, postquam per litteras & legationes animum *Leonis* Imperatoris emollire, atque ad meliorem frugem revocare incassum tentasset, Romae Concilium habuit trium supra nonaginta Episcoporum, in quo extorris ab Ecclesia declaratur, qui antiquae consuetudinis, & Apostolicae Ecclesiae fidelem usum contemnens, adversus venerationem sacrarum Imaginum depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus existit. Defensoribus sacrarum Imaginum adunxit sese *Sanctus Joannes Damascenus*, qui in Aula Caliphae Saracenorum dignitate, & gratia eminens, & Damasci Praefectus fidem adversus nascentem Iconoclastarum haeresim impigro labore propugnavit, missis in Provincias Imperii Epistolis, & Orationibus egregiis de Sanctarum Imaginum cultu. Quod ubi *Leoni Isauro* Imperatori innotuisset, eum malis artibus perdere in animum suum induxit, nactusque ejus manu scriptam Epistolam, aliam per *Notarios* peritos characteribus perfimilem exarari iussit, ut proditoria Epistola ejus manu scripta videretur. Hanc supposititiam, & proditoriam Epistolam misit Imperator *Leo* ad Calipham Saracenorum, qui acturum Sancto Damasceno iussit truncari manum, quae tamen die sequenti a Beata Virgine ei miraculose reddita est. Quo insigni prodigio percussus Saracenus Princeps eum pristinae dignitati restituere voluit, quod *Sanctus Damascenus* recusavit, & ab eo, aegre licet, facultatem obtinuit secedendi in Monasterium. Haec

constant ex Vita ejusdem Sancti Damasceni, scripta a *Joanne* Patriarcha Hierosolymitano, quam graeca & latine exhibet doctissimus noster *Michael Lequien* in fronte primi tomi recentis Editionis, quam adornavit *Operum S. Damasceni*. Sed de Constantia *S. Joannis Damasceni* in vindicando Sanctarum Imaginum cultu, & de Operibus ab eo lucubratis opportunior disserendi sese dabit occasio in Colloquio quinto, ubi de *Viris illustribus*, qui saeculis Ecclesiae septimo, & octavo floruerunt sermonem instituemus.

D. Respuitne tandem *Leo* Imperator ab impietate sua?

M. *Leoni Isauro* Imperatori Sanctarum Imaginum everiori frustra obstitit *S. Germanus* Constantinopolitanus, nec furentem hominem *Gregorii Secundi*, tertii admonitio, diratumque imprecatio a proposito revocare unquam potuerunt. In sua ergo impietate mortuus est *Leo* Imperator, ac filium reliquit *Constantinum*, dictum *Coprimum*, qui patetnae impietatis non minus quam Imperii haeres coegit anno *dccliv.* trecentorum triginta, & octo suae farinae Episcoporum Conciliabulum, in quo Imaginum cultum damnari curavit, persecutionem gravem in Catholicos excitavit, & maxime in Monachos, quos *Idolorum cultores*, per contemptum appellabat, Monasteria omnia militibus Iconomachis tradidit, Ordinem Monasticum penitus extinguere satagit, Praefectos Iconomachos selegit Catholicis insensissimos, Sanctas Imagines disiecit, abolevitque, promiscue in omnes viros sanctos ac Deo dicatos crudelissime seviit eo solo nomine, quod Iconoclastarum Haeresim detestarentur. Verum, hic scelestus Imperator, verbo Christianus, sed re Judaeus, Manichaeus, & Nestorianus divinam ultionem in morte expertus foetidam animam exiit, eique successit *Leo* hujus nominis IV. ejus filius, qui paulo minus in sacras Imagines debacchatus est, & a Catholicorum persecutione aliquamdiu abstinuit; Haeresis tamen nihilominus dominata est, nec Imagines in templis restitui permisit, immo, postquam in pulvini *Irenes* Imperatricis uxoris suae duas Imagines reperisset, furorem suum prodidit adversus Imaginum Cultores, quorum multos e medio sustulit. At *Leone IV.* Imperatore demortuo, cum summa rerum esset penes *Irenem* ejusque filium *Constantinum*, cumque Sedem Constantinopolitanam occuparet *Patriarcha Tarasius*, vir pietate non minus quam eruditione conspicuus, habita est Synodus septima Generalis, quae Constantinopoli primum incepta, dein *Nicaeae* celebrata fuit anno *dcclxxxii.* in qua Synodo proscripita est Iconoclastarum Haeresis, & decretum fuit, sacras Imagines esse colendas, atque anathemate percussis sunt ii omnes, qui sacras Imagines frangerent. De hac Synodo Generali, uti & de aliis Conciliis, quae tum Romae, tum in Gallis octavo Ecclesiae saeculo pro cultu Sanctarum Imaginum habita sunt, fuse disseremus in sequenti Colloquio. Hic tantum duo breviter observare sufficiat, primo, hanc Iconocla-

nostroclastarum Haeresim, quae in septima Synodo generali, quae dicitur *Nicaena secunda*, fuit confixa, nono Ecclesiae saeculo instar hydræ, suis rediivivam cladibus sub Imperatoribus *Leone Armeno*, *Michaele Balbo*, & *Theophilo* graves iterum turbas, & persecutiones in Catholicos excitasse, sicut data opera monstrabimus in nostris Colloquiis in Historiam noni Ecclesiae saeculi. Præterea observare debes, eandem Iconomachorum impietatem secutis etiam temporibus revixisse, puta in *Joanne Wiclefo*, qui in Concilio Constantiensi *sess. XV.* fuit damnatus; ac postmodum, saeculo decimo sexto in *Lutbero*, & *Calvino*, eorumque sequacibus, quos inter famosus fuit unus e Calvinianæ sectae Pseudo-Ministris, *Dallæus* videlicet, qui librum nataliis tenebris damnandum edidit, quem solide confutavit noster *Natalis Alexander* saeculo *Histor. Eccles. octavo*, Dissertatione sexta, ubi usum, cultumque Imaginum Christi ac Sanctorum non solum cum lege Dei non pugna-re, sed Religioni consentaneum esse, & fidelium excitandæ pietati perutilem omni argumentorum genere demonstrat.

D. Fuitne prae antiquis in Ecclesia Sanctarum Imaginum usus?

M. Observat doctissimus *Petavius* lib. XV. Theologorum Dogmatum de Incarnatione, capite decimo tertio, Imagines ex eorum per se genere esse, quae juris positivi, vel disciplinae dicuntur. Hinc est, quod primis ab ortu Christianae Religionis temporibus, cum adhuc in eam gentilis grassaretur furor, & in hominum mentibus haereret Idolorum superstitione, non tam frequens esset Sanctarum Imaginum usus. Ex quo nata est illa Gentilium Christianis facta exprobratio, quae apud *Minucium Felicem* his verbis exprimitur: *Cur nullas aras habent (Christiani), templa nulla, nulla nota simulachra?* idem Christianis crimini vertebat *Celsus* Ethnicus apud *Origenem* lib. 8. *Post haec*, inquit *Origenes*, *Celsus* ait, nos *Ararum*, *Statuarum*, *Templorumque* dedicationes fugere. Idem testatur *Arnobius* libro sexto contra Gentiles. Quod certe Christianis Ethnicis objicere haud potuissent, si in tribus prioribus Ecclesiae saeculis frequens fuisset apud Christianos Imaginum usus (*). Errant tamen Haeretici, dum infructu ore asserunt, nullum penitus in tribus prioribus Ecclesiae saeculis fuisse Imaginum usum. *Theodorus* siquidem *Lectot* lib. 1. *Hist. memorat*, *Eudociam* ab Urbe Hierosolymitana misisse ad *Pulcheriam* Imaginem Matris Christi Domini, quam *S. Lucas* Evangelista depinxisse ferebatur. *Eusebius* etiam *Casariensis* de statua Christi per *Syrophoenissam*, ut fama erat, confecta, agens cap. 18. lib. 7. *Hist. Eccl. ait*, non mirum esse, si Gentiles a Salvatore nostro beneficiis affecti hac praeslitterint, cum *Peetri*, & *Pauli*, *Christique ipsius pictas Imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus*. Fuit igitur aliquis in tribus prioribus Ecclesiae saeculis Imaginum usus, quamvis non ita frequens, quia id ætatis, vigente adhuc multis in locis Idololatria, consultius visum est Ecclesiarum Pastoribus ab Imaginum usu temperare, quam, eo admissio,

occasionem dare colendi imagines cum Gentilium scandalo, & offensione. At in quarto Ecclesiae saeculo, cum jam nullum subesset Idololatriæ periculum, frequentior fuit Imaginum usus, etsi alibi citius, alibi tardius introductus fuerit, prout Nationum captus, & indoles erat, & qui illis praeerant, expedire judicabant. Sequentibus deinde saeculis, postquam plena adepta libertate laceratos quodammodo suos explicare coepit Ecclesia, in omnibus locis ad magis fidelium promovendam pietatem Imagines palam haberi coepit, atque in Templis, & Oratoriis propositæ sunt, quae tamen antehac in omnibus Ecclesiis promiscue, & frequenter non adhibebantur, sed tantum in quibusdam Ecclesiis jam usu essent receptæ atque approbatæ.

(a) Usus aliquem extitisse Imaginum prioribus Ecclesiae saeculis ex eo etiam deduxerim, quod *Eliberitanum Concilium*, Saeculo ineunte IV. celebratum edito canone veterit, ne Sacrae Imagines in Ecclesiis depingerentur. Hujus enim sanctionis causam utrique dedisse oportet, inductus ab aliquibus mos eas pictis coloribus in sacris templis exprimendi, & quidem ad cultum, alioqui non in Ecclesiis tantummodo, sed & alibi ubicumque id a Concilio interdictum fuisset, cum alibi profecto pingi illas consuevisse eruant *Eruditi* ex illo *Tertulliano*: *Pastor*, quem in *Calice depingitis*, & ex *Eusebio* testante, Imagines *SS. Petri & Pauli* antiquitus expressas sua adhuc ætate, saeculo scilicet IV. nondum adulto, servatas sese vidisse. Id quidem ne fiat cavent *Patres Eliberitani*, sed disciplina tantum causa; neque enim sine anathemate percellunt sanctioni huic refragantes, neque ullibi legitur haereseos nota damnatum quemquam qui Imagines per ea tempora sive coluerit, sive huic conciliari mandato parere recusaverit.

D. Usus Statuarum, seu Figurarum extantium, qui nunc toto Orbe Christiano percrebuit, fuitne in omnibus Ecclesiis aequè antiquus, ac usus picturarum?

M. Non fuit in Ecclesia perinde antiquus usus Statuarum, ac Picturarum. Septima quippe Synodus generalis, seu *Nicaena secunda*, in ea, quam condidit, fidei confessione, meminit tantum picturarum, admittit dumtaxat in Religionis usum solas coloribus depictas tabulas, non vero Statuas, seu Figuras extantes. Crediderim ipse, ideo tardius Statuas a Christianis fuisse usurpatas, quod de Statuis, seu Figuris extantibus intelligi potissimum debeat ea Dei lex, qua vetitum fuit omnè sculptile, & quod etiam ea, quae super Imaginum usu scripserunt antiqui *Patres* in concertationibus cum Ethnicis, cadant praesertim in Statuas. Sed post septimam Synodum generalem sensim sine sensu venerationi fidelium expositæ sunt Statuae, maxime cum nullum amplius suboriri posset Idololatriæ periculum, & fideles de cultu, quem Imaginibus, & Statuis exhibere debebant, satis superque a Pastoribus essent edocti.

D. Estne licitum depingere Deum, & Angelos, qui puri sunt spiritus?